DE TUMORIBUS CEREBRI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-PATHOLOGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

FACULTATIS GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XXIX M. MAJI A. MDCCCXXVI,

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS LUDOVICUS HENRICUS CALOW,

SEDINO-POMERANUS.

ACCEDIT TABULA AENEA.

OPPONENTIBUS:

A. DE BARY, Dr.
H. REIMBOLD, Dr.
ROUGEMONS, Cand. med.

BEROLINI,

LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

AVUNCULO

DILECTISSIMO ATQUE DOCTISSIMO,

DOCTORI HENRICO MEYER,

CRUCIS FERREAE EQUITI,

NEC NON

PATRI OPTIMO ATQUE DILECTISSIMO,

JOH. AUG. GEORG. CALOW,

SYNDICO PROVINCIALI, ATQUE A CONSILIIS JUSTITIAE ET NOTARIO PUBLICO,

AD CINERES USQUE SUMMA PIETATE COLENDO,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Quamquam novissimis in temporibus anatomiae et pathologiae cognitiones maximum eruditionis gradum sunt adeptae, atque etiam nonnulli iique celeberrimi anatomi et pathologi multa nova, notatu dignissima, nec minus grata de morbis cerebri, vitae animalis centri, animae atque mentis sedis doctissime scripserunt et ita nostras de corporis parte tanti momenti necessarioque perscrutanda scientias maxime amplificarunt, tamen haud incommodum puto, morbosas, quas organon illud offert mutationes exquirere. Non pauca enim cum de structura cerebri tum de vi ejus in corpus et in totum organismum aut omnino fere incognita supersunt aut certe nondum aperta nec satis explorata et meo quoque studio campum praebent haud exiguum. Sed quo gravior et difficilior tractatu est iste morbus, quo magis intellexi, rem meis viribus longe esse majorem et medici peritissimi, non juvenis, non tironis, qui primitias tanta de re in lucem edere conatur, eo magis audaciae roganda mihi est venia. Duo praecipue aegroti ad hancce perscrutationem me impulerunt, alter, quem, cum per semestre instituta clinica Bonnis frequentarem, ipse observavi, alter, quem, cum aegrotus in alma hic florente Charitate demortuus esset, in theatro anatomico inveni. Ille autem primum cogitationi me induxit conscribendi de hac ipsa materia, eo magis cum in praesenti

aliud thema aptum atque utile mihi deesset, et fortuna ita me adjuvaret, ut illum alterum, benevolentia Illustr. *Rudolphi*, cui maximas hic refero gratias, describendi occasionem mihi daret, quem etiam, quum rarum et cognitione satis dignum atque clarioris spectationis causa, delineatum atque imagine aenea expressum curavi. Illum superiorem statum morbosum, benevolis lectoribus, eodem modo ante oculos ut demonstraretur studuissem lubentissime, nisi consanguinei mortui impedivissent, ne totum caput aut cerebrum in domum abducerem, tumor autem ipse in clinico instituto tali repositus esset diligentia, ut dispareret; qua de causa in suo loco morbi historiam atque status illius anomali descriptionem communicabo.

Omnes autem morbosos cerebri status hic tractare et nimis vagum esset nec breve temporis spatium sufficit, vel majore experientia atque studio longiore opus est; hanc ob causam de Tumoribus tantum cerebri sermo erit, de quibus *Abercrombie* [1]) etiam multum atque eximie disseruit.

Ne severius judicetis de hoc opusculo, etiam atque etiam, Vos Omnes, oro atque rogo.

---

[1]) Krankheiten des Gehirns und Rückenmarks, aus dem Engl. von *F. de Blois.*

DE TUMORUM CEREBRI DIVISIONE.

Priusquam ad accuratiorem horum morbosorum cerebri statuum descriptionem transeo, non incommodum mihi esse videtur, de notione tumoris discere atque convenire, idque ea ex causa, quod hoc nomen nimis liberaliter atque temere tractatur et degenerationibus tribuitur, nulla adhibita inquisitione, utrum rei conveniat nec ne. Ex quo illa confusio doctrinae de tumoribus cerebri, quo turgescentiae, amplificationes cerebri, abscessus aliaeque anomaliae minus recte nominantur tumores. Jam Hammerus [2]) contra hunc abusum exsurgit et difficultates divisionis tumorum, qua usque adhuc caremus satis explanata, in eo putat esse impositas, quod in eligendo et adhibendo nomine harum pseudo-organisationum neque satis distincte neque accurate agamus. Sed in ipsa ejus dissertatione [3]) tumor cum turgore aut turgescentia commutatur, cum totius cerebri substantia atque ejus singularum partium augmentatio ab ipso auctore appelletur tumor sine ulla meditatione: „tumorem esse substantiam nonnunquam majoris consistentiae, alias pulti similem, alias liquidam sacco proprio circumductam aut tela cellulosa cum partibus, quae illum circumdant, laxe atque dissolute conjunctam, anomala vi plastica productam."

Sunt, ut jam supra commemoravimus, tumores saccati, qui substantiam varii generis membrana obductam continent, aut sunt tumores sine illo integumento, quorum substantia firma, compluribus saepissime stratis composita, in medio nucleum densioris atque firmioris materiae continens, et iis, qui in aliis corporis partibus apparent, haud dissimiles. Plerumque figura rotunda; quod ad texturam sacci, cum membranis serosis conveniunt, interdum etiam mucosis. Saepe illi tumores cystici cum crassiori, fibrosa sunt circumdati membrana, nonnunquam pluribus foliis composita. Quod ad magnitudinem, magnam invenimus varietatem, quippe qui ple-

---

[2]) *Hammer,* dissertatio inauguralis anotomico-pathologica sistens tumorum morbosorum in cerebro observat. novas. Lips. 1818. 4.

[3]) l. c. pag. 7.

rumque lentem non superant, saepe columbae, interdum anseris ovi magnitudinem assequuntur. Plerumpue arachnoïdea cum pia matre et substantia cerebri ita dissolute cohaerent, ut sine magnis difficultatibus adtolli atque a partibus circumjacentibus clare atque perspicue discerni possint.

Quod ad locum, in quo apparent et oculis nostris in sectione se offerunt, partim in substantia ipsa, tum saepius in ventriculis, et hic vulgo in plexu choroïdeo, qui ad has desorganisationes et morbosas productas res conformandas magnam habet inclinationem, quae notatu dignam offerre mihi videtur similitudinem cum plexu pampiniformi satis ex anatomia notato, qui etiam saepius, ut ex observationibus (ni fallor) Mayeri constat, tumores parvulos, postea in concrementa calculosa transeuntes, haud raro producit. Quo fit, ut hisce partibus major vis insit ad procreationem atque configurationem talium anomalorum organorum, huc non pertinet et me nimis longe a themate abduceret. Sed dignum puto praebere argumentum ad rationem, quae existit inter cerebrum et organa generationis, de qua Physiologi multum atque egregie scripserunt, inter quos J. F. Meckel, praeceptor meus summus atque dilectissimus, profecto primum tenet locum. Quae rationes si viris experientia edoctis accuratius inquirerentur et illa phaenomena, quae saepius, quam vulgo putamus, apparent, intentius observarentur et perscrutatio anatomica in cadaverum sectionibus majori cum diligentia institueretur, quam vulgo a medicis fit, quum saepe nunc obductiones mactationi magis quam investigationi arte atque scientia institutae adaequent, qua de normali aut morbose mutata structura organorum anatomicae atque pathologicae nostrae scientiae locupletari possent; magnam et de cerebri mutationibus atque ejus vi, praeberent utilitatem.

Nonnunquam denique extra cerebri substantiam, inter lamina arachnoïdeae observantur.

Contenta horum tumorum magnam etiam offerunt varietatem: quod enim ad consistentiam, majoris firmitatis et densitatis, tum pulti similia, tum liquida, colore fusco, flavo aut albo illa videmus. Vulgo tumores pro vario contento huic aut illi substantiae aequales aut similes, varia gerunt nomina et hoc modo singulas species, quas hic breviter attingam, et singulas et nonnullas tantum, cum tempus et scientiae tironis non sufficiunt, ut omnibus thematis partibus satis faciam. Spero autem fore, ut pluribus in posterum collocatis casibus atque observationibus, mihi contingat, de hac re majori cum utilitate aliquid in lucem edere.

Utrum fortasse hae degenerationes dividi possint in eas, quae sacco proprio cinctae in cerebro videntur, an quae sine sacco cum cerebro cohaerent tela cellulosa, aut quae pro variis contentis atque substantia, aliis similibus comparari possunt, varium nomen gerentes, mihi non magni momenti esse videtur, quam ob rem paucis cum verbis tumores sequentes a plerisque pathologis receptos commemorabo. Tum aetiologiam, diagnosin et prognosin nec non de eorum therapia afferam res essentiales, denique ad casus a me observatos transibo.

Primum igitur singulos adnumerabo tumores.

a. Tumor steatomatosus. Est tumor similis adipi duriori, lividi, subfusci coloris, interdum sacco cinctus, interdum sine illo, et tela cellulosa cum cerebro cohaerens. Quorum tumorum complures scriptores mentionem fecerunt: Rhodius [4]), Borellus [5]), Abercrombie [6]), Voigtelius [7]) aliique. Plerumque in epilepticis inveniuntur, ut exempla docent, sed etiam sine illius morbi vestigio symptomata in Diagnosi commemorata, praecipue deliria, vehementissimos capitis dolores perdurantes, sensuum abalienationem et debilitatem, durante vita, observamus.

b. Tumor albus firmus. Est massa rotunda, in substantia cerebri apparens, quae albidior partibus circumjacentibus et firmior, saepe cum tuberculis, quorum illico mentionem faciam, in cerebro inventis et saepissime ad tumores scrophulosos aut scirrhosos, adnumeratur; tela cellulosa cum cerebri substantia, quae frequenter omnino non est morbose mutata, interdum autem partes tumorem cingentes inflammatione paullulum affectae inveniuntur, atque vasculosiores. Quorum casuum nonnullos apud Baillie [8]) et Soemmering [9]) invenies.

c. Tumor fungosus. Rarissime in cerebro reperta degeneratio; dura, coloris flavi, albi, rubri, modo dissolute, modo firmius cum substantia cerebri cohaeret. Exempla hujus speciei apud Voigtelium [10]), Baillie [11]),

---

4) Observat. Cent. 1. observat. 55.

5) Observat. medico-physicae. Cent. II. obs. 78.

6) l. c.

7) Handbuch der patholog, Anatomie, Bd. II. pag. 613, 645.

8) Anatomie des krankhaften Baues von einigen der wichtigsten Theile im menschlichen Körper. A. d. Engl. von *Sömmering*. Berlin 1794. pag. 254.

9) Zusätze zu Baillie's Anatomie etc. Berlin 1794. pag. 540.

10) l. c. Bd. 1. pag. 616.

11) l. c. pag. 254.

Soemmering [12]), Lieutaud [13]), Earle [14]), apud quem eaedem degenerationes in testiculo inveniebantur, fortasse ad id, quod superius de connexu genitalium et cerebri commemoravi, referendae. Baillie et Soemmering [15]) volunt, ut hae distinguantur a fungo durae matris, qui saepe laesionibus atque vulneribus et operationibus cranii oriri solet.

d. Tumor cysticus. Sunt tumores, qui in sacco clauso liquidum albumini, sero simile continentes, diversae magnitudinis a lente usque ad ovi gallinacei ambitum, in ventriculis in substantia atque extra eam apparentes plus minusve hydropis cerebri symptomata offerunt.

Ad ejusdem speciei tumores a multis auctoribus memoratum tumorem adnumerare possumus hydatideum, qui itidem sero simile continet liquidum, quod saepe in sacculis, quibus interdum hydatis est composita, invenitur. Non rarissimi, ut Baillie [16]) contendit, inveniuntur, ut exemplis apud Lieutaud [17]), Abercrombie [18]), Balme [19]), Morgagni [20]) et alios intelligi potest. Similem tumorem invenies a me commemoratum, qui magnum et aptum praebet argumentum ad nostrum thema.

Alius tumor, qui fortasse huc etiam est referendus, pus aut puri simile liquidum continet, sine dubio inflammatione praegressa, est ortus. Qui enim tumores, quos commemoratos invenimus apud Voigtelium [21]) et Yelloly [22]) per longum possunt remanere tempus in cerebro, denique ruptione aegroti dolores morte finiunt.

Non minus huc ii sunt adnumerandi tumores, qui sanguinem aut sanguinis coagulum, sacco cinctum, haemato-cystidis nomen gerunt. Quas ad degenerationes ille infra a me memoratus casus, qui brevem ob commorationem aegroti in Charitate, tum alias ob causas, quas hic enumerare non possum, non satis accuratam morbi historiam nobis praebet.

---

12) l. c. pag. 540.

13) Historia anatomico-medica curante Schlegelio. Gothae et Amstelodami 1796. Vol. II. pag. 372.

14) Médical. Transactions. Bd. V. pag. 234.

15) l. c.

16) l. c. pag. 254.

17) l. c. pag. 369.

18) l. c. pag. 256 seq.

19) Journal de Médecine. Tom. XLI. pag. 526.

20) De sedibus et causis morborum Epit. I, III, IV, et aliis in locis.

21) l. c. Bd. I. pag. 640.

22) Medical. Chirurg. Transactions I, 181.

Ex sententia complurium medicorum tumores scrophulosi, etiam scirrhosi in cerebro reperiuntur, ut Reil [23]) de infante, scrophulosa dyscrasia laborante, commemorat, apud quem mortuum in substantia cerebri et cerebelli ducenta fere se invenisse subrotunda atque oblonga corpora, paulo majori duritie, quam cerebrum, plerumque pallida, raro coerulea, pulti similia, partim in sacculo. Sic etiam Mérat [24]), Voigtelius [25]) et alii ab eo commemorati auctores, tumores scirrhosos se in cerebro reperisse, contendunt; nisi putandum tales fuisse, quorum Baillie [26]) apud tumorem album firmum mentionem facit. Res semper maxime dubia est, cum neque supra nominati scriptores, neque recentis temporis viri anatomiam magnopere colentes glandulosam probarunt structuram cerebri, ceterum morbi illi in organis glandulosis atque lymphaticis sedem habent; itaque intelligi non potest, cur non habeantur tubercula, quae in aliis etiam organis, in substantia glandulis omnino carentibus, reperiuntur. Quis enim istos scirrhosos tumores in carcinoma apertum transire vidit; scirrhus autem magnum habet inclinationem ad hoc et initium quasi intrantis canceris est.

AETIOLOGIA.

Quod ad fontes ad procreandos hosce tumores, eorumque causas, genus virile ad horum desorganisationum formationem magis, quam femininum, inclinare videtur, ut ex nonnullorum scriptis multisque exemplis intelligi potest; ni fallor hanc ob causam, quod magis rebus nocivis atque causis hujus mali se exponit. Tum etiam ex observationibus a Nasse [27]) institutis elucere videtur, aetatem ab anno vigesimo usque ad quadragesimum praecipue his esse subjectam, majorem rarius hisce vexari malis. An etiam annis climactericis, ex majorum nostrorum sententia, tam praecipua, quam ille vult auctor, vis sit tribuenda ad procreandos hos morbos, dijudicare non audeo; rem vero ita se habere, dubito, atque mea quidem opinione argumentis parum probatam puto. Res maxime obnoxiae extrinsecus cor-

---

23) Memorab. clinic. Fasc. III. pag. 39.

24) Journal de médécine per Corvisart etc. Vol. X. Vind. pag. 3.

25) Anhang über Geschwülste im Gehirne zu Abercrombie's Krankheiten des Gehirns etc. pag. 20 seq.

26) Medical. Chirurg. Transactions.

27) l. c. pag. 24.

pus et praecipue caput aggredientes, sunt: pressus, contusiones, vulnera omniaque mala, quae caput laedunt atque sanguinis congestionem ad caput efficiunt, aut si quis subito calorem cum frigore mutat, refrigerationes ut in casu a me observato et in illo a Povel [26]) enarrato, cujus aegrota magnam post refrigerationem, qua menses supprimebantur, de vehementissimis capitis doloribus est conquesta. Pariter Hammerus [27]) narrat, aegrotum, post magnum calorem caput in aquam immersisse frigidam. Huc etiam refertur aegrotus, cujus Mérat [28]) facit mentionem, calefacientis munere fungens, ideoque saepius hisce gravitatibus expositus. Ex anthematibus suppressis, scabie imprimis morbus elici potest, ut affirmat Nasse [29]). Dyscrasia quoque scorbutica occasionem dat, ut Bonnet [30]), Manget apud Lieutaud [31]), affirmant; nec minus fortasse scrophulosis ut Reil [32]), Hufeland, Abercrombie et Hammer exemplis demonstrare student.

Quod ad originem ipsum tumorum pertinet, fortasse peculiariter et per se, causis praegressis, producta exoriuntur e principio omnibus formationibus communi, in tela cellulosa, qua sejuncta et organa secretionum substantiae fiunt, quae illa continent. Hanc sententiam a Mekelio atque Bichat [33]) explicatam dissolutus connexus sacci affirmat cum adjacenti tela cellulosa. Exhalatio etiam cujusdam telae cellulosae partis augeri fortasse potest. Plerumque hae formationes spuriae inflammatione substantiae ipsius ejusque membranorum nascuntur, quorum praecipue arachnoïdea tum maximam ad formandas hasce configurationes habet inclinationem, tum etiam in ea saepissime inflammationis exitus observantur. Huc etiam novae anomalae, ut videtur, formationes referendae sunt, quae seriem, perspicua reliquae massae conjuncta texturae mutatione incipientem, et in corpora plus minusve separata, dissolute tantum in illam imposita, finientem conformant. Primus gradus est illa degeneratio, quae sero aut pulti simile liquidum cum distinctum nondum assumserint characterem, continent. Saepius pseudo-formationes esse videntur tumores rotundi et ejusdem

---

28) Bulletin de la faculté de Médécine de Paris 1815. No. 4. pag. 335.

29) l. c.

30) l. c. No. 25.

31) l. c. ibid.

32) l. c.

33) Handbuch der pathologischen Anatomie von *J. F. Meckel.* Bd. II. Abtheilung II. pag. 150 seq.

degenerationis partes ex sententia Meckelii per pleraque cetera organa diffusae, nihilominus nonnullos invenimus, in quibus tumores, scrophulosa illa dyscrasia deficiente, oriuntur: quam ob rem illam sententiam nondum satis esse probatam existimo. Sanguis aut serum in cerebro clausum repertum non semper, vasis diruptis, oritur, sed potius exsudatione minorum ramorum, vasa exhalantia sanguinem recipiunt. Tumores, qui haec continent, sine dubio nascuntur hac ratione, cum saepe in hominibus magna affectis congestione, apoplexia, postea symptomata morbi cerebri inveniuntur organici, iisdemque mortuis formationes anomalae in cerebro liquidum sanguini aequale sacco continentes animadvertuntur.

DIAGNOSIS.

Quorum morbosorum statuum diagnosis saepe difficillima atque plerumque anceps est, quod symptomatibus. quae illi offerunt morbi, interdum remittentibus, aegrotus videtur in sanitatem redire, et ita medicus atque consanguinei spe falluntur vana, denuo malis aliisque visis symptomatibus, usque dum mors doloribus constituit terminos. In aliis autem casibus symptomata non clare videntur, ita ut cerebri morbus atque affectio non cognoscatur et si forte aliud essentiale organon clariora praebet symptomata, sedes morbi in hoc a medico non peritissimo conjiciatur. Omnia igitur phaenomena bene sunt perpendenda atque constituenda, nec minus bene respiciendum est, quam diu exstent, quae eorum sit vehementia, et quisnam inter illa sit connexus, ut pro viribus certa atque justa, quae tamen saepe haud facillima atque certissima est, poni posset diagnosis.

Praecipua cerebri affectionis organicae symptomata, quae plus minusve in omnibus enarratis invenies casibus, haec sunt.

1) Dolores capitis, qui semper, paucis tantum exemplis exceptis, et plerumque unicum est symptoma. Qui dolores interdum remittunt, intermittunt, saepissime typo continenti morbosam sensorii esse ortam commutationem, indicant. Dolor ipse aut fixus, et ut in casibus a Nasse [34]), Abercrombie [35]) commemoratis sedem tumoris significat, aut vagus ut in casu a Yelloly [36]) enarrato, ubi ab occipite ad frontem aut apud Salter [37]), ubi ab

---

[34]) l. c. pag. 28. [35]) l. c. pag. 227. [36]) l. c.

[37]) Archiv für medicin. Erfahrung von Dr. *Horn* et *Nasse*. Jahrg. 1822. pag. 375.

anteriori parte ad occiput migrabat; sic etiam in nonnullis ab Abercrombie nobis communicatis exemplis; aut denique dolor totum occupat caput, ut in illa a me curata aegrota et eodem modo apud aegrotos Rose [38]), Abercrombie [39]) et Krukenberg [40]).

2) Congestiones magnae ad caput, in quibus vultus ruber, oculi ardent, carotides pulsant, saepe cum doloribus vehementissimis capitis accedentibus.

3) Convulsiones et spasmi ut in casu meo, itidem apud Coindet [41]), Yelloly [42]); non raro epilepsia etiam a tumore in cerebro oritur; quod Krukenberg [43]), Abercrombie [44]), Lieutaud [45]) affirmant.

4) Sensuum functionum anomalia aut turbatio, imprimis *oculorum acies* diminuta, paulatim defectio, photophobia, aut coecitas, et amaurosis, ut Arvers [46]) dicit. Pupilla dilatata est, ut in meis casibus, aut contracta interdum. Videas exempla ab Abercrombie [47]), Nasse [48]), Hammer [49]) enarrata. Nonnunquam pupillae adest immobilitas, oculorum distortio, strabismus, diptopsia ut Yelloly [50]) commemorat. *Odoris* etiam organon plus minusve afficitur aut sensus hic deest, aut abolescit. Quod affirmatur Abercrombie casu [51]), in quo vir triginta annorum per duas annos de sensu gravitatis pressusque in capite querebatur, saepissime epistaxi molestus et paulatim odore omnino privatus. Hoc in eodem duobus annis paulo post epilepsiae paroxysmos subito saepiusque additos, tumor in anteriori cerebri haemisphaerae parte est repertus. In Medical Chirurgic Transactions [52]) casum legi, ex quo in muliere quadam primo auditu tum visu, denique odore privata, tumor dextra in hemisphaera est inventus.

5) Sensuum internorum affectiones, symptomata psychica, memoriae debilitas, cogitatio valde tarda atque difficillima, stupor, deliria, amentia, furor, aut interdum mentis acies aucta, ut in casu ab Abercrombie enarrato.

6) Affectiones organorum in abdomine in omnibus fere casibus observare potes, qui de hoc cerebri morbo exstant. Quae enim symptomata saepe ad morbum cum alio commutandum occasionem dant. Vomitus, ut legimus apud

38) l. c. 39) l. c.

40) Jahrbücher der ambulatorischen Klinik zu Halle. 1823. pag. 325.

41) Archiv für medicin. Erfahrung etc. Pag. 213.

42) ibidem. 43) l. c. 44) l. c.

45) l. c. 46) l. c. 47) l. c.

48) l. c. 49) l. c. 50) l. c.

51) l. c. 52) Med. Chirurg. Transactions II. 260.

apud Coindet, Camell, Hutchinson, Nasse, Hammer, et in meo casu aderat. Pertinacem alvi obstructionem, ut apud Abercrombie, Krukenberg, Lallemand etiam in meo invenies. Quae omnia non semper adsunt symptomata, sed etiam deesse possunt, ut ex Abercrombie et aliis auctoribus elucet, attamen hos tumores reperimus.

7) Pulsus interdum frequens, durus, plenus, inaequalis et intermittens. Interdum tardissimus et parvus, testimonio Yelloly, Arvers, Salter, Earle et Povel.

8) Paralysis, quae hemiplegia, paraplegia atque singularum partium videtur. Cujus si vis exempla Coïndet, Arvers, Salter et Abercrombie tibi sunt auctores.

PROGNOSIS.

Morbus cerebri organicus, nisi primis ejus initiis, quae quidem difficilius intelliguntur, medicina opponitur, brevi tantum aegroti decessum efficere solet. Nonnunquam vero aegroti complures per annos vexantur hocce malo, quoad tandem aut apoplectice aut post dolores vehementissimos placide obdormiscentes excedunt vita. Qui in superficie apparent tumores, tardius quam qui in substantia ipsa mortem adducere videntur, ut multis supra dictis casibus cognoscimus. Mox praeterea cerebrum non amplius pressu gravari videtur sed tantum in certum quendam statum, quo aegrotus paulo post animam exspirat. Utrum fortasse nobilior atque altior quaedam materia in cerebro sit, an magna in hac re sit vis pontis Varolii, injudicatum relinquo et peritiorum eruditiorumque permitto arbitrio.

CURA.

Jam ex aetiologia et prognosi vidimus, quales difficultates in tractandis et curandis talibus morbis nobis obstent. Nunquam malum plane tollere, sed dolores tantum mitiores reddere et ut res obnoxias, quae morbum excitant, removeamus, studere possumus. Quam ob rem omnes res, quae congestiones magnas ad caput efficiunt, vitandae sunt, nec minus refrigerationes, praecipue capitis. Pedum sudores suppressos et exanthemata revocare debemus. Omnes cerebri inflammationes magna cum diligentia sunt tractandae et methodus antiphlogistica bene atque circumspecte est adhi-

benda, ne illae desorganisationes oriantur. Si ex symptomatibus concludere possumus, tumores in cerebro adesse, pro phaenomenis et affectionibus indicationes sunt ponendae. Si congestiones ad caput magnae, instituenda est venaesectio, hirudines, aliaque remedia antiphlogistica sunt adhibenda. Si morbus chronicus fit, purgantionibus. fonticulo, setacea in nucha applicata, cura derivativa utimur. De emeticorum utilitate, quorum mentionem facit Nasse, pauca atque dubia adesse exempla puto. Semper aegrotus hoc malo laborans, prius aut serius morte corripitur.

HISTORIAE MORBI.

I.

Christianus Schirmer, mercator, Neustadii Bavariae oppido, octoginta sex natus annos, postquam multa tulerat fata; quae ob res familiares in Russia erat perpessus, Berolinum se contulit, ubi extremo tempore habitationem sibi conduxit apud sutorem, qui postea saepius, illum virum fuisse peritissimum atque doctissimum, dixit. Nunquam apud nostrum sutorem de capitis doloribus neque de aliis cerebri affectus symptomatibus questus est; semper sanus et strenuus, ut raro senex invenitur. Initio vero mensis Martis primum de debilitate totius corporis multa et ita graviter questus est de sensuum atque virium diminutione, ut in Charitatem mitteretur, ubi examine de eo instituto, haec sunt inventa.

Aegrotus vir debilis, aetate jam valde provectus, qui pueriles in annos recumbere videtur. Pauca aut nihil de suis rebus familiaribus omnibusque talibus dicere potest, nec minus de praesentis conditionis suae omnino fere ignarus est. Vultus sunt senis debilis; oculi semper vagi et intenti aliquid exquirere videntur: pupilla dilatata; lingua albo obducta integumento; de nullis queritur doloribus, nullis molestiis, ut dicit, vexatur et post longam meditationem et saepe repetitis quaestionibus vix sufficientem atque perturbatam responsionem tarde et interrupte dat examinatori. Nescit. quomodo in charitatem venerit. Omnia, ne multus sim, summum deminutae sensuum atque vitae energiae gradum indicare videntur. Quibus supra commemoratis phaenomenis commoti sunt in opinionem medici, qui eum tractabant aegrotum marasmo senili laborare et tum ex illis indiciis curam instituebant. Observationibus in decursu morbi ad notatis, cognovimus

animi atque sensuum hebetudinem permanere, aegrotus semper; ut ad consanguineos adportetur, orat. Sic status symptomatibus crescentibus atque augentibus perdurabat; ad pedes lecti collabitur aeger, oculi caligant atque acie hebeti praediti; extremitates tremunt, frigidae; singultus intrat; pulsus inaequalis, intermittens, et postquam per quatuordecim dies in nosocomio clinico fuerat, diem obiit.

Sectione instituta haec sunt reperta:

Integumentis capitis secatis, nullam cranii mutationem observare, nullam ossis degenerationem et laesionem detegere potui, quam ob rem cranium serra dissecatum est, et duram matrem multis locis et fere totam ad os adhaerentem et in suturae sagittalis regione fibrosam structuram oculis praebentem invenimus. Glandulae Pachioni non aderant. Infra duram matrem inter lamina arachnoïdeae in quoque latere cerebri duo magni tumores se ostendebant circa dimidium pollicis a falce cerebri, in quaque cerebri haemisphaera jacentes, usque ad os frontis, et ad occiput, ad latus usque ad basin cranii, ossa parietalia et temporum attingentes. Longitudine tumor erat circa duos pollices atque dimidium, diameter transversus unum atque dimidium. Supra convexus et ab ossibus bregmatis et temporum tectus, sine mutatione substantiae aut structurae ossium. Inferior tumoris pars plane substantiam cerebri depresserat neque tamen alias mutaverat. Capsnla crassa, firma, fibrosa, sed ut videbatur serosa etiam tunica circumdata, processus membranosos conformabat, quorum ille ad latus situs, tanquam vinculum cerebrum amplectebatur et cum illo ab altero tumore descendente se conjungebat. Vasa quaedam in superficie videbantur et arachnoïdea ita cum pia matre dissolute erant juncti tumores. ut facile adtolli possint. Tumor dexter major atque latior quam sinister. In uno, quem scalpello dissecavimus, massam consistentiae pultis, colore subfusco, ut cruorem invenimus.

II.

Johanna Thuer, e vico Elbrich ad Rhenum sito, triginta quinque annos nata, in aetate puerili, ipsius, matris consanguineorumque indiciis, sanitate incolumi est gavisa. Menses circa annum decimum quartum nimis parci quidem, apparuerunt, et regulares revenerunt. Annis nonnullis praeterlapsis, cum in typographi cujusdam Bonnis operis esset, cumque, magnae illic in iis, quos subibat, laboribus, ex ejus verbis, essent proferendae molestiae; exortae sunt congestiones ad caput, eique objecta in orbem verti, atque

nigra visa, ita ut se sustentare coacta esset. Medicus quidam, apud quem auxilium aegrota quaerebat, venaesectionem esse indicandam, dixit quidem, sed non instituit. Sic status usque ad diem vigesimum primum Maji a. p. perdurabat, quo in diei ipsius tempore matutino matrem ex urbe comitata erat, inopinata apoplexia in culina percussa humi decubuit, pluresque horas mentis impotem jacuisse narrant. Tunc demum venaesectio est instituta. Apoplexiae effectus erat lateris dextri totius hemiplegia, ita ut neque brachio, neque pede uti posset. Paulatim hemiplegia sublata est medici ope, ut ante morbum, quo nunc laborat, modulum aquae manu hemiplegia affecta portaret. Omnes functiones normales fuerunt, nullae partes, praeter caput, doloribus affectae. Nonnullis mensibus post sub vespere ante urbem ambulans refrigerata, de horripilatione, artuum tensione, et frigore pedum antea fusius sudantium conquesta est; lecto incubare cogebatur, vehementissimi capitis dolores per totum caput perfusi intrabant cum pertinaci alvi obstructione, quam quatuordecim dies, et septendecim dies perdurasse narrat. Spasmi apparuerunt, faciei color caeruleus, manibus semper caput sustinere studuit, de acerrimis capitis doloribus, nullum certum occupantibus locum, questa est; capitis calor tantae fuit intensitatis, ut ignem inesse illi putaret. In spasmorum paroxysmo cibos assumptos evomuit. Medicus ille aegrotam quidem tractavit, semel illi pulverem album ordinans, atque clysmata applicavit, ex causis autem non notis raro et in postremo tempore nunquam aegrotam visitavit; quam ob rem in clinico medico bonnensi auxilium petiit, et a Cel. Nasse mihi tradita est. Examine instituto haec se ostenderunt symptomata. Aegrota corpore robusto, capillis nigris, oculis subnigris, quorum acies ab illo tempore, quo refrigerationi erat exposita, hebes et depravata; pupilla dilatata; auditus diminutus in quoque latere; nares aridae; oris cavitas humida; bonis ornata dentibus, non muco obductis; lingua humida, pura. Respiratio regularis et sine omnibus molestiis facta; abdomen sine dolore, neque extumefactum, molle; alvi obstructio matris ex verbis per duos perduraverat dies, faeces coloris nigri et conglobatae. Uteri atque vesicae regio nullo dolore est affecta; urina parca, subrubra, nullum sedimentum aut enaeorema conformans. Pulsus frequens, plenus, nonaginta circiter ictus praebens, cordis pulsationi respondens, aequalis. Cutis sicca, calida, caput tactui calidum apparuit, facies rubicunda.

Aegrota de vehementissimis conquerebatur doloribus capitis, locum certum significare non poterat, saepe autem manibus caput sustentare studebat.

Ex his atque historia status praeterlapsi, diathesi inflammatoria persistente, cerebrum morbose affectum existimavi, cum symptomata, quae affectionem cerebri destinant, adessent; congestiones ad caput, dolores capitis vehementes, continentes, extensio manuum ad caput, oculorum atque aurium functiones laesae, spasmi, obstructio alvi pertinax, saepissime cerebri morbos comitans, hanc diagnosin reddiderunt probabilem; quo vero morbo cerebrum esse affectum, mihi non satis erat notum; etsi secundum symptomata, his ab auctoribus enarratis comparata, hydropem, malaciam, morbum organicum adesse ad verisimilitudinem propius accessit.

Ob statum inflammatorium methodum antiphlogisticam et tunc derivativam institui. Venaesectio unciarum duodecim est instituta, solutionem natri sulphurici, et clysma ex aceto et oleo ordinavi. His remediis alvus quidem non solvebatur, cephalaea autem, quamquam non plane evanescebat, diminuta fuit. Pulsus regularior, sed adhuc frequens, multum melius se aegrota habuit; nunc setaceum ad nucham applicavi, et medicina eadem aegrota est usa. Die subsequente spasmi iterum apparuerunt, in quibus vomitus ciborum erat subsecutus. Duae hirudines in naribus applicatae levaminis paullulum attulerunt; alvus continuo erat obstructus. Duobus diebus postea menses apparuerunt copiosi, quamquam cephaleam non diminuebant, spasmi rursus intrarunt; post nonnullos dies medicina atque clysmate e melle parato alvus est soluta, faeces cohaerentes, nigrae, quasi ustae, durae. Post duos dies alvus iterum soluta, spasmorum et dolorum vehementia decreverat, aegrota somno tranquillo noctem transmiserat. Hic melior status octo aut quatuordecim perdurabat dies, tum doloris vehementia', alvi obstructio invaserunt. Pulsus irregularis, durus et frequens. Nonnullis horis post aegrota alacrior et hilarior, quam prius fuerat, prandi intendens, subito in lectum relapsa, e vita decessit.

Cadaveris sectio, duobus praeterlapsis diebus, haec ostendit phaenomena.

Cadaver non erat emaceratum, in sinistro thoracis latere magnae maculae caeruleae, abdomen magnopere extumefactum.

Capitis integumenta dissecabantur, cranium nullas laesiones oculis obtulit, et est apertum. Dura mater non cum ossibus adhaesit; glandulae Pachioni permultae ac magnae; vasa in superficie cerebri sita sanguine repleta se ostenderunt. Ventriculorum tegumenta mollia, fluctuantia et tumida. Septi pellucidi Ventriculus valde extensus. Omnes Ventriculi dilatati atque aqua, cujus quantitas uncias quinque aequabat, repleti. Glandula pinealis acer-

vulum continuit. In dextro lateri pontis Varolii Hydatis magnitudinis ovi gallinacei, tensa et sero impleta inventa est. Quae hydatis in regione ganglii Gasseri duram matrem perruperat et ad latus sinistrum Sellae turcicae, cujus margo superior membranae instar extenuatus, erat sita. Glandula pituitaria liquidum flavum, subrubrum, purulentum continuit. Pontis Varolii latus sinistrum explanatum erat atque molle; in basi cranii parva aquae quantitas erat.

Thoracis organa, remoto sterno, haec obtulerunt. Pleura pulmonalis in latere dextro cum pleura costarum in superiore parte adhaesit, pulmones structura normali, sic etiam cor. Glandula thymus justo major.

Abdomen. Ventriculus subruber, ceterum normalis, hepar nil abnorme praebuit, vesica fellea bili vacua, renes parvi, sanguine impleti, omentum valde adipatum, intestinorum tractus tympanice extumefactus, uterus laxus, intestinum faeces aliquas duras continuit. Splen etiam nil abnorme obtulit.

DESCRIPTIO TABULAE.

Fig. I.

A. Cerebrum.
B. Tumor.
C. Processus membranosus.
D. Cerebellum.
E. Incisura pro falci.

Fig. II.

A. Tumor.
B. Processus laterales.
C. Processus anterior.

VITAE CURRICULUM.

Ego *Ludovicus Carolus Henricus Calow*, Pomeranus, natus sum Sedini die IV. Junii anni MDCCCII., patre Georgio Calow, et matre Henrica, e gente Lobach. Primis litterarum elementis apud pastorem Steinbrück imbutus, tunc ad pastorem Bernsee, qui corpus et animam illud firmius hanc eruditiorem redderet, cui viro dilectissimo maximas et pias ago gratias, missus. Denique per novem annos gymnasium Sedinense, quod ibi Cl. Kochio directore floret, frequentavi atque mense Martis anni MDCCCXXII., examine superato, almam Friedericianam petii, et a Maaſsio, viro illustr., civibus academicis et facultati medicae adscriptus sum. Ibique scholas clarissimorum et doctissimorum virorum, quibus gratias debeo summas, frequentavi, Cel. *Sprengelii* de botanica et de Hippocratis aphorismis. Illustr. *Meckelius* anatomiam normalem, pathologicam et comparatam, aeque ac physiologiam, artemque cadavera secandi tradidit. Cel. *Nitzchius* zoologiam atque entozoologiam; Cel. *Friedländer* pharmacologiam et toxicologiam; Cel. *Schweigger* chemiam et physicam; Cel. *Germar* mineralogiam; Cel. *Maassius* logicam atque psychologiam; Cel. *Weinhold* chirurgiam et artem fascias adhibendi; Cel. *Niemeyer* artem obstetriciam atque morbos infantum, me docuerunt. Illustr. *Krukenbergio* pathologiam ac therapiam generalem et specialem omnem debeo. Scholis clinicis Illustr. *Krukenbergii* et Cel. *Niemeyeri* per semestre interfui.

Tum fato Anno MDCCCXXIV. ad Berolinum me conferre coactus ibi Cel. *Jüngken* de akiurgia, Illustr. *Rustium* de chirurgia et morbis syphiliticis audivi.

Clinicum medicum apud Illustr. *Berends* frequentavi et Cel. *Jüngken* operationes ophthalmicas bene instituere me docuit.

Anno praeterlapso Bonnas ad Rhenum me contuli, ibique per semestre scholis clinicis medicis Cel. *Nasse* et chirurgicis Illustr. *a Walther*, quem etiam de arte fascias adhibendi disserentem audivi, interfui.

Tentamine et examine rigoroso coram gratioso ordine Universitatis Berolinensis rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione publice defensa, summi medicinae et chirurgiae mihi conferantur honores.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Tumor scirrhosus in cerebro non invenitur.

II.

Pulsus non dat indicationem ad venaesectionem instituendam.

III.

Mercurius ad syphilitidem sanandam non sufficit.

IV.

Hepar pulmonum functioni coërcitae succurrit.

V.

Non semper ea corporis pars est sedes morbi, in qua apparent symptomata.

Fig. I.




Fig. II.



F. Guimpel. sculp